



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Augusti Buchneri Orationes Panegyricæ**

**Buchner, August**

**Cliviæ, [1668]**

XIII. In fun. Sebastiani Mulleri Vratisl. Silesii, SS. Theol. Studiosi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69483](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69483)

rate quæso, ut suo PREIBISIO deinceps, patre desideratissimo, cui supremum honorem nunc persolvistis, minore dolore ac ægritudine animi carere possint. Cogitate humanos casus, & illas lubricas nimis atque incertas vices, quibus perpetuò obnoxii vivimus: perpendite, quod Poëta ille in scenâ quidem, cæterum tanquam oraculum dixit ac edidit,

*Cuius potest accidere, quod cuiquam potest.*

Ne itaque duriore conditione sint PREIBISII liberi, quàm vestris olim, si idem fati genus, quod tamen avertat Deus, opprimat fortè, optetis contingere, diligentem quæso navate operam, & summo studio contendite. Nihil profectò dignius homine est, quàm adesse hominibus, & intercessisse miseræ, & emendasse fortunam, & novum calamitosi fatum dedisse. Et est in cælo Deus, qui videt non modò ac intuetur, quæ quisq; benignè fecerit aliis; sed dignis quoque præmiis repensare solet.

---

ORATIO DECIMA TERTIA.

IN FUNERE

SEBASTIANI MULLERI,

Vratisl. Silesii, SS Theol.

Studiofi.

**D**Enatalibus, indole, moribusque ac studiis SEBASTIANI MULLERI, Vratislaviensis Silesii, Ornatisissimi ac Literatissimi Juvenis, cui hoc institutum, & celebratum solenne funebre, quum alibi satis dictum sit, nolo nunc quicquam ampliùs de iis exponere, ne rerum earundem iteratâ narratione

illudere vestræ patientiæ videri possim. Æquum potius est considerare vitæ nostræ fragilitatem, & quàm frustrâ spem atque fiduciam aliquam in eâ ponamus ætate, quæ propter vigorem suum atque alacritatem procul abesse à morte vulgò existimatur. Certè Noster nec sexaginta aut plures, imò ne quadraginta quidem annos, sed vix dimidium impleverat, vix limen institerat juventutis, cum decedendum ipsi de vita fuit. Equidem ut valeamus maximè corpore, ut lateri, sicut Poëta ait, pedibusque benè sit; tamen tot vices ac casus intervenire possunt, quæ vitam eripiant, ut nulla hora, nullum momentum non esse connexum cum fine ultimo existimare oporteat. Quò magis cavere par est, ne imparatos mors opprimat, magisque esse sollicitos, convenit, ut moriamur benè; quàm ut fortunatè ac suaviter transigamus vitam, quò plerorumque tamen curæ contendunt. Neque enim res facilis adèd, aut parvi momenti est, rectè obire diem suum; sed tam ardua certè atque difficilis, ut huic curæ omne vitæ nostræ tempus impendi debeat. Namque ab uno isthoc articulo, omnis nostra veraque pendet felicitas. Nam ante funus ac obitum quis unquam mortalium se bona, ut ita dicam, fide perhibere felicem possit? Quocirca si ex hoc ipso funere occasionem capiemus descendendi paulò altiùs in hanc cogitationem, næ omnium optimè hoc collocasse tempus videbimur. Pro ipso autem officio vestro, quod ultimum atque supremum præstitistis defuncto, Vobis RECTOR MAGNIFICE, Patres Academiæ Reverendi admodùm, Amplissimi, Experientissimi atque Clarissimi, Consules ac Senatores Prudentissimi, qui que adestis reliqui Ornatisissimi ac Humanissimi Viri ac Juvenes, cum fratris ac amicorum, qui curarunt

rarunt funus, tùm Patris ipsius nomine (quamvis hinc longè abest, & lætiora omnia procul dubio de filio expectat,) singulares ago & habeo gratias. Dabunt vicissim operam, ut nulla non vobis humanitatis officia studiaque, quacunque ratione poterunt, sedulò semper exhibeant ac præstent.

---

 ORATIO DECIMA QVARTA.

## IN FVNERE

## JEREMIAE GODOFREDI

Reichelmi, Hallens. Sax. J. U.

Studiofi.

CUM omnia ea, quæ ad funus istud, quod duximus, solenni more celebrandum requiri posse videbantur, peracta sint, nihil nunc restat aliud, quàm ut iste tot præstantissimorum virorum cætus post actas gratias dimittatur. Nam de egregio, cui hæc justa persoluta sunt, Juvene, quid plura dicere attinet, cum de ipsius virtutibus dotibusque, quibus præ multis aliis mirificè exornatus fuit, alibi satis commemoratum est: lamentari autem & conqueri de ejus acerbo & immaturo (ut ferè ratiocinari solemus homines) obitu, nihil profectò aliud esset, quàm incendere animorum dolores, & dilatare vulnus, quod obducendum sanandumque erat? Dignus quidem erat REICHELMIUS noster, ut quàm longissimè vitam produceret, atque repræsentaret illas spes, quas plurimas ac præclarissimas hæctenus de se præbuit. Neque enim quisquam, opinor, est, cui is paullò notior

X 4

fuit,